



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Capvt III. De loco exercitiis idoneo, & de quibusdam particularibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

tionem quadrans etiam ad examē præcedentis meditationis. Cum aliis, qui debilioris sunt valetudinis, vltam exactum modum seruare non possunt, dispensari poterit de hora mediæ noctis, ita vt quatuor horæ maneant, aut etiam pauciores, si instructor ita expedire iudicauerit. Ut verò plures sint quam quinque raro continget, vt expediatur. Nam cum nimis continuantur hæc exercitia mentis, ita retundi solet, vt obtusior etiam reddatur intellectus, & voluntas minus efficax.

*De loco exercitiis idoneo, & de quibusdam particularibus.*

CAPVT III.

**L**OCVS ad facienda exercitia non est dubium, quin debeat esse remotus ab hominum concursu, & aspectu etiam maximè familiarium. Ita enim monet Pater N. Ignatius annotat, vltima, vbi etiam tres eius rei commemorat vtilitates. Quare si exercitans alibi, tam commodè, & tam fructuose non potest, & Superiori ita

B 2      videa-

videatur, poterit excipi domi nostræ, sed in aliquo cubiculo, quod sit quām maximè separatum ab aliis cubiculis, & officinis domesticis, vt quām minimè videat, vel audiat quæ à nostris fiunt. Quod verò ad expensas attinet, cum ille in domum nostram venerit, consulatur superior: ad cuius prudenteriam pertinebit, ita omnia moderari, vt si ille aliquid obtulerit pro victu, neque occasione domus non grauanda minuatur fructus, ac numerus eorum, qui exercitia facere possunt, neque contra aliquid fiat quod sordidum videatur, & auaritiæ speciem præferat.

In hoc loco, præter instructorem, debet etiam esse qui ei inseruiat, & necessaria ad victum deferat. Hunc autem oportet esse fidelē, discretū, taciturnum, qui que sua modestia, & humilitatis, ac deuotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquetur, nisi de iis, quæ ad victum, aut cubiculum, & ministerium suū pertineant, idq; paucissimis, omnia semper ad instructorem reiiciendo, quem etiā de singulis certiorem faciet, nec rem vilam

Iam ei deferet, etiam postulatus, nisi illo consulto.

Componet lectum, & cubiculū verret opportuno tépore, quod fere erit tempore missæ. Cætera etiam quæ opus erit, munda, & apta afferet, præferendo semper magnam charitatem, & diligentiam: atque inter alia meminerit etiam pro ipso orare quotidie. Aliquando etiam profuit huic ministerio eum deputare, qui notus aut familiaris esset exercitanti, idque iuuat non solum ad consolationem quandam ipsius, sed etiam ad profectum spiritualem, quoniam aliqui interdum confidentius se aperiunt amicis huiusmodi, quam ipsi Instructori, si eum nunquam antea norant. Sed hoc totum pendere debet ex iudicio eius, qui tradit exercitia, vt videat quatenus hic progredi debeat, quid loqui, & quomodo. Debet enim vti eo tamquam instrumēto suo, iuxta id quod intelliget conuenire ad maiorem vtilitatem exercitantis. Quod ad victum attinet, quærendum est ab eo quid sibi parari velit, idque ei afferendum, quod ille petierit.

26      *Direct. Exercit. Spirit.*

Præter hunc qui ei ministrat , vt plu-  
rimum non debet ab aliis visitari. Nam  
de sæcularibus quidem nulla est dubi-  
tatio , nisi aliqua necessitas vrgeret. Ex  
nostris autem aliquis mitti posset, cum  
vel qui facit exercitia , id peteret ab in-  
structore , vel instructor etiam illo non  
petente ita iudicaret ad eius cōsolatio-  
nem vel profectum. Quicumque au-  
tem eat , cauere debet, vt nullus nisi v-  
tilis sermo habeatur, ac de rebus spi-  
ritualibus , nulla tamen significatione  
quod eum ad hunc , vel illum vitæ sta-  
tum impellere velit , præsertim vero ad  
Societatem. Nam præterquam quod  
vocatio debet esse libera & à Deo veni-  
re , ipsi etiam qui in hac deliberatione  
versantur, si id intelligent, aut suspicen-  
tur , eo magis retrahi solent , & contra,  
vt experientia sæpe ostendit , eo ma-  
gis incitari, cum in nostris nullam  
talem cupiditatem ani-  
maduertunt.



*Qualis*